# DEPRAVATIONES DEPREHENSÆ IN LATINA

versione duorum librorum qui nuper à S. Facultate Parisiensi damnati sunt, factâ à Iesuitis Anglis ex Anglico idiomate, nimirum libri Nicolai Smithæi, cui titulus est *Modesta & breuis Discußio, &c.* & libri Danielis à Iesu qui inscribitur, *Apologia pro Processione Sanctæ Sedis Apostolicæ, &c.*

M. DC. XXXI.

# DEPRAVATIONES DEPREHENSÆ IN LATINA versione duorum librorum qui nuper à S. Facultate Parisiensi damnati sunt, factâ à Iesuitis Anglis ex Anglico idiomate, nimirum libri Nicolai Smithæi, cui titulus est, *Modesta & breuis Discußio, &c.* & libri Danielis à Iesu qui inscribitur, *Apologia pro Proceßione Sanctæ Sedis Apostolicæ, &c.*

## ADMONITIO AD LECTOREM.

*Sciat Lector prodijsse nuper libellum cujusdam Loemelij nomine in lucem editum, quem Spongiam inscripsit, eò quòd in illo censuram S. Parisiensis Facultatis latam in librum Danielis à Iesu eluere prætendat. Et licet reuera illos maximè Spongiâ suâ commaculare conetur, qui librum Danielis à Iesu ex Anglico idiomate in latinum transtulerunt, quos contumelijs & falsis etiam criminationibus acerrimè aspergit : nihilominus cùm Spongia primò in lucem ederetur, istæ Loemelij criminationes tribus potißimùm de causis contemnendæ potius videbantur quàm refutandæ. Primò quia cura & diligentia, qua vsi fuerant Illustrißimi ac Reuerendißimi Galliæ Episcopi, vt quàm exactißimè libellus iste latinitati secundum proprietatem textus Anglici redderetur, adhibitis in eum finem tam Regularibus quàm sæcularibus Sacerdolibus fide dignißimis, tanta fuit, tantumq; authoritatis Versioni Parisijs factæ cõciliare debebat, vt contra eam immanes istius hominis vociferationes viderentur nihil fidei promereri posse. Secundò quia opor-*

tuit ipsummet Loemelium, cum peregrinus sit, & linguæ Anglicanæ ignarus, effecisse, vt constet majorem se adhibuisse cautionem, vt liber fideliter verteretur, quàm adhibuerant Illustrißimi ac Reuerendißimi Galliæ Episcopi; quod tamen ipse non ostendit se egisse, & propterea vix putabam aliquem reperiri posse, qui, donec Loemelius id præstiterit, suspicaretur versionem ejus esse magis exactam & fidelem, quàm sit illa, qua Parisienses Doctores vsi sunt: imo contrà magna suberat ratio cur suspecta haberetur Versio Loemelij, ex eo quòd cōmuniter crederetur ipsum non aliùde versionem suam accepisse, quàm ab ijs qui sunt prædicti libelli uel Authores vel saltem fautores. Tertiò quia cùm ille, qui Danielem à Iesu latinitate donatum Coloniæ prelo dedit, (qui is est à quo Loemelius suam Versionem mutuò accepisse videtur) in Epistola sua dedicatoria ad Illustrißimos ac Reuerendißimos Galliæ Episcopos, pollicitus esset velle se detegere innumeras in Parisiensi versione corruptiones, easque omnium oculis subijcere, &, vt discernerentur, in notis marginalibus dicta suæ versioni adhibitis singulas designare, nihil horum præstitit, cùm nec vnius quidem corruptionis in omnibus suis notis marginalibus mentionem fecerit, licet ad id datâ promißi fide teneretur. Quod sufficere videbatur, non obstante Loemelij contradictione, ad euidenter ostendendum Versionem Parisiensem esse reuera integerrimam, & translatorem Coloniensem improbationi ejusdem, quam in notis marginalibus promiserat, imparem reipsa fuisse. Adde Loemelium in scriptione sua adeo furere, & tot contumelias vndique congerere, vt ipsius Spongia videretur causæ desperatæ potius signum esse, quàm defensæ, nec tam indigere responsione quàm commiseratione, quia dum aliorum fidem & famam nonnisi scommatîs & conuitijs petit, perdit suam.

Propter has rationes persuasum mihi fuit aliquando Loemelij criminationes aduersùs Parisiensem Versionem li-

*bri Danielis à Iesu, nulla responsione diluendas esse. At vero cùm nuper intellexerim non tantùm in Anglia, verùm etiam in Belgio & in Gallia credi communiter, Loemelium nihil libello isti nisi nomen suum commodasse, & veros ejus Authores esse alios quosdam, in quorum gratiam non desunt plurimi, qui Spongiam in cœlum vsque extollunt, & omnia quæ in ea continentur summopere deprædicant: ne clamores contra veritatem præualerent, necessarium omnino mihi visum est propositiones notatas in lucem edere, simul cum textu Anglico, & cum vtraque Versione, Parisiensi nimirum, & illâ Iesuitarum, quâ vsus est Loemelius, vt hac ratione ij omnes, qui voluerint testem linguæ Anglicæ peritum adhibere, euidenter sciant, quàm integra sit Versio Parisiensis, & quàm corrupta sit illa Iesuitarum. Hinc etiam fiet vt non tantùm Authores Versionis Parisiensis, qui Lutetiæ degunt, ab infamia, quâ eos Loemelius aspergit, vindicentur; verum etiam vt ijs ora obturentur, qui vt seipsos excusent, mundo persuadere cupiunt Propositiones Parisijs damnatas non esse Danielis à Iesu aut Nicolai Smithæi, sed alias confictas & supposititias; quod artificium vulgare est, quando quis infamiæ notam, quam semel incurrit, aliter excutere nequit: sic multis abhinc annis egisse constat Erasmum, qui in Collectores propositionum suarum culpam rejecit, vt censuram ab hac ipsa totius Orbis Christiani celeberrima Academia in libros suos latam declinaret. Denique hinc etiam poterunt illi, qui solis Iesuitis aurem præbent, percipere multas ex propositionibus damnatis ipsorummet Iesuitarum judicio censeri animaduersione dignas; quid enim aliud est sensu Anglici textus immutato emendatas & correctas in lucem edere, quam tacitâ eas, prout in Anglico textu jacent, censurâ notare, & Parisiensis Facultatis sententiam hac ex parte comprobare?*

*Porro Lectorem monitum cupio, quòd licet per totam li-*

*brorum istorum versionem à Iesuitis impressam, innumeræ textus Anglici deprauationes reperiantur, mihi tamen modò in animo non esse, alias corruptiones annotare, præter eas quæ in ipsis propositionibus deprehendi possunt, ex quibus eas tantum collegi in quibus textus Anglici sensus notoriè corrumpitur; reliquas omisi, à quarum translatione Parisiensis Versio non discrepat, nisi quòd textus Anglici proprietatem magis exactè obseruet, quam Versio Coloniensis vix vllo in loco secuta est, quod valdè notari debet. Hoc insuper poterit prudens Lector aduertere, quòd licet Translator Coloniensis textum Anglicum immaniter corruperit, ita vt in vna propositione aliquando quatuor aut quinque particulas inserat, quæ omnes textus sensum diuersimode variant, nunquam tamen potuit propositiones istas adeo immutare, quin adhuc prauum aliquem sensum sortirentur, ratione cujus semper censuræ redderentur obnoxiæ.*

# DEPRAVATIONES TEXTVS ANGLICI IN LAtina versione libri Nicolai Smithæi facta à Iesuitis Anglis & Antuerpiæ impressa.

## *In titulo de Sacramento Confirmationis propositio 2.*

*Versio Antuerpiensis quæ est Iesuitarum Anglorum & corrupta, pag. 79.*

Nec vero actualia illa gratiæ auxilia ita vni annexa sunt Sacramento, vt per aliud ad nos transfundi nequeant.

In hac propositione Translator suppressit particulas, *similiter*, *& propter susceptionem*, ratione quarum ista propositio à S. Parisiensi Facultate notata fuit.

*Versio Parisiensis & integra quæ est oblata S. Parisiensi Facultati, pag. 15.*

Nec auxilia actualia, nec motiones gratiæ necessario sunt ita alligatæ vni Sacramento, vt non possint similiter tribui per & propter susceptionem alterius.

*Textus Anglicus ex quo vtraque versio facta est, pag. 65.*

Nether the actuall helps, or motions of grace are necessarily so bound to one Sacrament,

that they cannott likewyse be giuen for and by the receauing of another.

## *Propositio 3. eiusdem tituli.*

*Versio Antuerpiensis, pag. 80.*

Audeo dicere Religiosum statum spectato securo calle, quo homines per continuam bonorum operum exercitationem, crebramque aliorum Sacramentorum frequentationem, ad gratiam de die in diem indesinenter amplificandam ducit, animi non minus roborisque tribuere ad persecutiones inuicto pectore excipiendas, quàm sola Confirmationis susceptio ijs censeri possit, vt plurimùm conferre, qui per media sæculi pericula ac distractiones sæculari via gradiuntur.

Hæc propositio corrupta est à Translatore, nam vbi ipse vertit, *spectato securo calle quo homines ad gratiam de die in diem indesinenter amplificandam ducit*, textus Anglicus habet, *spectatis securis mediis quæ habet ad perpetuum augmentum in gratia.* Item illa verba quæ Translator vertit, *per continuam bonorum operum exercitationem*, verti deberent, *per continuum meritum bonorum operum.* Denique addidit vltima illa verba, *sæculari via*, quæ non extant in textu Anglico.

*Versio Parisiensis, pag. 15.*

Status Religiosus consideratis securis medijs, quæ habet ad perpetuum augmentum in gratia per continua merita bonorum operum, & per frequentem receptionem aliorum Sacramentorum,

cramentorum, non minus fortem reddit hominem, ne in persecutione deficiat, quàm sola receptio Confirmationis communiter censeri potest fortem reddere populum inter continua pericula & distractiones in mundo degentem.

*Textus Anglicus, pag. 66.*

A religious state considering the secure meanes it hath of vncessant encrease in grace by continuall merit of good workes, and frequent receauing of other Sacraments doth strengthen a man not to faile in persecution, no lesse, then the onely receiuing of Confirmation commonly may be thought to strengthen people liuing amoung continuall dangers, and distraction, in the world.

## *Ex titulo 2. De statu Episcoporum Curatorum & Regularium.*

### *Propositio 1.*

*Versio Antuerpiensis, pag.* 110.

Negari non debet hominem dum ad procurandam aliorum perfectionem incumbit, facere actiones ex se meritorias, & quæ operantem perficiant, tamen nisi etiam perfectè fiant (quod obtineri non poterit nisi quis aliun-

de iam perfectionem adeptus sit) ita comparatæ sunt, vt plus damni quam emolumenti afferre soleant, ob magnas imperfectiones, & varia pericula, quibus tam nobiles actiones non ritè obiens, sese exponit.

Versio huius propositionis quoad illa verba, *dum ad procurandam aliorum perfectionem incumbit*, aliena est à textu Anglico, in quo sic habetur, *dum facit opera quibus alios perficiat*. Item ista verba, *ita comparatæ sunt, vt plus damni quam emolumenti afferre soleant*, non consonant cum verbis Anglicis, quæ sunt, *magis aptæ sunt nocere quàm iuuare.*

*Versio Parisiensis, pag. 20.*

Negari non debet hominem facientem opera aliorum perfectiua, actiones de se præstare meritorias, & de se perfectiuas operantis: nihilominis nisi etiam fiant cum perfectione (quod contingere non potest, nisi homo aliunde perfectus sit) magis aptæ sunt nocere quàm iuuare, ratione magnarum imperfectionum & variorum periculorum, quibus ex mala executione tam nobilium actionum homo ipse obnoxius est.

*Textus Anglicus. pag. 95.*

It ought not to be denied, that a man by doing workes to perfect others, doth performe actions, of themselues meritorious, and perfectiue of the doer: yet vnlesse they be also done with perfection, (which cannot be vnlesse

a man by other meanes be perfect) they are more apt to hurt, then help, by reason of great imperfections, and manifold dangers to which by the euill performing of so noble actions, the party himselfis subiect.

## *Propositio 2. eiusdem tituli.*

*Versio Antuerpiensis, pag.* 110.

Hinc est quòd semper viri sanctissimi obnixè conati sint tantæ dignitatis onus à suis humeris reijcere.

In huius propositionis translatione supprimitur particula, *omnes*, quæ fuit ratio cur hæc propositio à Parisiensi Facultate notaretur.

*Versio Parisiensis, pag.* 21.

Hinc fuit quòd omnes viri sancti adeò conati sint tam altam dignitatem declinare.

*Textus Anglicus, pag.* 94.

Hence it was, that all holy men did so much labour to auoide so high a dignity.

## *Propositio 10. eiusdem tituli.*

*Versio Antuerpiensis, pag.* 116.

Votum Religionis impleri posset acceptando Episcopatum, si quidem esse Episcopum esset in omnem partem melius.

In hac propositione textus Anglicus ab Antuerpiensi translatione discrepat quoad illud vocabulum, *in omnem partem melius*, quod in Anglicano exemplari est, *omnino, vel totaliter melius*, Angliсè, *Wholy*; consulatur Dictionarium Latino-Anglicum. Et hunc esse Authoris sensum patet ex præcedentibus; nam in præcedente sententia argumentum Smithei supponit Episcopatum non esse absolute maius bonum Religione, quia, inquit *alioquin fas non esset voto se illigare repudiandi Episcopatum, cum licitum non sit votum per quod maius bonum impeditur.* Item postea pag. 127. & 128. dicit perfectionem Status Episcopalis consistere in virtutibus minus nobilibus, quam sint illæ in quibus collocatur perfectio Status Religiosi; atque hanc resoluit in virtutes nobilissimas, charitatem & religionem, illam vero in virtutes minus nobiles, iustitiam nimirum aut fidelitatem. Quid autem hoc aliud est, quàm dicere Statum Religiosum esse simpliciter & omnino meliorem Statu Episcopali?

*Versio Parisiensis, pag. 26.*

Votum Religionis impleri posset per acceptationem Episcopatus, si Episcopum esse melius omnino esset.

*Textus Anglicus, pag. 99.*

A vow of Religion might be fulfilled by being a Bishop, if to be a Bishop, were wholy better.

## *Propositio 14. eiusdem tituli.*

*Versio Antuerpiensis, pag. 128.*

Ausim dicere importunos eos fore consiliarios, si qui Parochias & Parochos molirentur, vnde non aliud lucrum, vt nunc sunt tem-

pora

pora reportari poſſet, præter commutationem charitatis in inferiorem aliquam virtutem, & iacturam illius gloriæ, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis commendauit, *gratis accepiſtis, gratis date:* vt nihil dicam de tremenda obligatione, quam ſibi ipſi tantillâ mercede conſciſcerent, vt ſuprà tetigi.

In fine huius propoſitionis ſupprimuntur iſta verba, *per hoc quod eſſent Curati*, quæ habentur in textu Anglico & in cenſura Pariſienſi.

*Verſio Pariſienſis, pag. 29.*

Audeo affirmare illos fore conſiliaros intempeſtiuos, ſi qui proponerent neſcio quam Parochiarum & Parochorum inſtitutionem, vnde nihil aliud hiſce temporibus lucrifieri poſſet, quàm mutatio charitatis in inferiorem aliquam virtutem, & amiſſio illius gloriæ à Chriſto Domino Apoſtolis commendatæ, *gratis accepiſtis, gratis date:* vt nihil dicam de ſtricta obligatione, cui adſtringerentur, ſi eſſent Curati, propter tam miſerum ſtipendium, vt ſuprà notaui.

*Textus Anglicus, pag. 111.*

I make bould to ſay they would be vntimely Counſellers, if any ſhould be making I know not what propoſitions, of Pariſhes, and Pariſh Prieſts, whereby nothing els could be in theſe times gained, but the change of *chari-*

*tie*, into some inferiour vertue, and forfey-ture of that glory, commended by our sauiour to his Apostles; *gratis accepistis*, *gratis date*, what you haue freely receiued, besto wfreely: to say nothing of the strict obligation, which by being Curates, they should vndergoe for so poore wages, as before hath been touched.

## *Ex titulo 3. De Hierarchia propositio 8.*

*Versio Antuerpiensis, pag.* 210.

Addo Regularibus Sacerdotibus eiusmodi ordinum, quorum meminit obiectio, inesse peculiare quoddam ius, vel, vt sic loquar, dispositionem proximam ad talia munia, quam non habent Sacerdotes sæculares præcise vt tales.

In ista propositione, *præcisè vt tales*, est æquiuocum, textus Anglicus habet, *præcisè quà sunt Presbyteri*.

*Versio Parisiensis, pag.* 35.

Addere possem Regulares Presbyteros ordinum à Doctore in obiectione nominatorum particulare genus iuris, &, vt ita dicam, dispositionem proximam habere ad huiusmodi officia, quam sæculares præcisè quà Presbyteri sunt, non habent.

*Textus Anglicus, pag. 190.*

I may add, that Regular Priests, of such orders as *M. Doctour* mentioned in the *obiection*, haue a particular kinde of right, or, as I may say, *dispositionem proximam*, to such functions, which secular Priests, precisely by beeing Priests, haue not.

# DEPRAVATIONES TEXTVS ANGLICI IN LAna versione libri Danielis à Iesu facta à Iesuitis Anglis & Coloniæ impressa.

## *Ex titulo 1. De Ecclesia. Propositio 2 circa finem.*

*Versio Coloniensis quæ est Iesuitarum, pag. 5.*

Hoc eodem sensu dici potest Ecclesia esse multitudo Christianorum ab Episcopo gubernata, id est multitudo ita disposita atque vnita inter se in fide Christi, vt Episcopum habere possint, requirantque animis paratissimis ei se subdere, cum fuerit legitimè missus.

In hac propositione additur vox illa, *requirant*, cuius defectum Doctores Parisienses notarant, nec extat in textu Anglico.

*Versio Parisiensis quæ oblata fuit S. Facultati Parisiensi, pag. 41.*

Eodem modo Ecclesia dici potest multitudo Christianorum gubernata per Episcopum, id est, ita disposita & vnita in fide Christi, vt possit habere Episcopum, & opus habere Episcopo, & parata sit animis, apta & præparata ad illum

illum recipiendum cùm legitimè mittitur.

*Textus Anglicus, pag. 6.*

In this manner a Church may be sayed a multitude of Christians gouerned by a Bishop, that is a companye so disposed and vnited togather in the fayth of Christ, as they may haue, and need a Bishop, and are in minde ready, apt, and prepared to receaue him, when he is lawfvlly sent.

## *Ex titulo 2. De sacramento Confirmationis. Propositio 1.*

*Versio Coloniensis, pag. 30. in titulo.*

Quòd Catholici Chrismate inter baptismum inuncti, sint ex Patrum sententia perfecti Christiani.

Omittuntur hîc ista verba, *licet ab Episcopo non confirmati,* quæ extant in textu Anglico, & in censura Parisiensi.

*Versio Parisiensis, pag. 42.*

Catholicos Chrismate vnctos in Baptismo, licet ab Episcopo non confirmatos, perfectos esse Christianos in sensu Patrum.

*Textus Anglicus, pag. 44. in titulo.*

That Catholikes Chrismed in Baptisme, though not confirmed by the Bishop, be perfect Christians in the Fathers sence.

## *Propositio 3. Circa finem, in eodem titulo.*

*Versio Coloniensis, pag. 34.*

Quas motiones gratiæ animum aduersus peccatum confirmantes hac Chrismatione dari ex opere operato, nonnulli Theologi existimant.

In hac propositione illa verba, *quas motiones gratiæ animum aduersus peccatum confirmantes hac chrismatione dari*, non reddunt fideliter sensum textus Anglici, qui in hunc modum vertendus esset, *quas motiones fortitudinis, & magnanimitatis hac chrismatione dari, &c.* Quæ verba significant proprium effectum Sacramenti Confirmationis.

*Versio Parisiensis, pag. 43.*

Quæ motiones fortitudinis & animi dantur per Chrismationem baptismalem, ex opere operato, vt multi Theologi docent.

*Textus Anglicus, pag. 50.*

Which motions of strength and courage, are giuen by this Baptismall chrisming *ex opere operato*, as many Diuines teach, &c.

## *Propositio 5. eiusdem tituli.*

*Versio Coloniensis, pag. 37.*

Hoc profectò ostendit confidentiam in ro-

bore Confirmationis posse importare periculum animabus, si solitario huius Sacramenti præsidio freti alia perseuerantiæ subsidia negligamus.

Huic propositioni verba consequentia adiunxi, quia translatio Coloniensis hîc duas propositiones absolutas compingit in vnam conditionalem, & exinde occasionem dat Authori spongię, proiiciendi calumniam & conuitium in censuram Parisiensem, tanquam si sapientissimi illi Doctores qui propositionibus ex libro integro colligendis deputati fuerant, mutilatam & dimidiatam propositionem censuræ subiecissent; quia nimirum in propositione conditionali non requiritur quòd antecedens verum sit, nisi quando verificatur consequens. Sed res aliter se habet, nam in textu Anglico non reperitur particula illa (*si*) Nec verba sequentia sensum textus Anglici fideliter reddunt scribitur enim ibi in hunc modum. *Hoc ostendit quòd confidentia in robore Confirmationis inferre possit magnum periculum animabus, & quòd non oporteat post Confirmationem omittere vsum aliorum mediorum ad constantiam assequendam.* Ita verbatim textus Anglicus; ex quo patet propositionem istam esse copulatiuam quæ duas includit categoricas & absolutas, quarum vtraque vera esse debet, ad hoc vt tota propositio vera sit; Et quia prior pars falsa est, non verò posterior, propterea Facultas Parisiensis eam solam notauit.

*Versio Parisiensis, pag. 44.*

Patet quòd confidentia in Confirmationis virtute importare possit magnum periculum animabus.

*Textus Anglicus, pag. 54.*

This sheweth, that confidence in the strength of Confirmation may import great danger vnto soules, and that after Confirmation we must

not omit the vse of other meanes of constan-cy.

## *Propositio 7. Eiusdem tituli.*

*Versio Coloniensis, pag. 58.*

Theologi consentiunt Confirmationem non esse in præcepto, nisi cùm commodè haberi potest, aut vt affirmant alij quando commodissimè.

Suppressa hîc sunt postrema verba, quæ habentur in textu Anglico, *quando sine vllo vel minimo prorsus incommodo.*

*Versio Parisiensis, pag. 46.*

Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cùm commodè haberi potest, vel vt alij dicunt quando commodissimè, quando sine vllo vel minimo prorsus incommodo.

*Textus Anglicus, pag. 89.*

All Deuines say Confirmation is not commanded but onely *cùm commodè haberi potest*, when it may with commoditie be had, or as others say, *quando commodissimè*, when it may be had without any the least incommoditie in the world.

Ex

## *Ex titulo 3. De Episcopis & Curatis Propositio 2.*

*Versio Coloniensis pag. 64.*

Ordinatio quippe Sacerdotum Ministrorumque Ecclesiæ sola res est quæ Episcopos necessariò inferat.

Hîc deprauatur textus quoad illa verba, *Episcopos necessariò inferat* Angliceè habetur, *quæ Episcopi necessitatem inferat.*

*Versio Parisiensis pag. 47.*

Ordinatio Presbyterorum & Ministrorum Ecclesiæ sola est causa quæ infert necessitatem Episcopi.

*Textus Anglicus pag. 99.*

The Ordination of Priests, and Chruch Ministers, is the only thing that doth infer the necessity of a Bishop.

## *Propositio 4. ejusdem tituli.*

*Versio Coloniensis pag. 69.*

Diuina lex indeterminatè abstractéque considerata non amplius exigit, quàm vt in Ecclesia sint Episcopi tot numero, vt periculum non sit, ne totus ordo subito casu intereat, per orbem ita dispersi, vt Christianis omnibus virtutis &

doctrinæ idonei Sacerdotes ſuppetant, hoc ſi factum eſt diuinæ legi ſatisfactum eſt, licet temporum locorumque circumſtantijs ita exigentibus nec in Gallia, nec in Hiſpania, nec Anglia Epiſcopi ſint.

Iſta verba quæ in principio hujus propoſitionis ponuntur, *indeterminatè abſtractéque conſiderata*, non extant in textu Anglico, ſicuti nec iſta quæ Tranſlator ille in fine ejuſdem propoſitionis addit, licet *temporum locorumque circumſtantiis ita exigentibus*. Quòd ſi forte dicat iſta verba licet in textu Anglico non exprimantur, ex præcedentibus tamen & conſequentibus ſubintelligi debere; neque illud tueri poterit, quia hæc verba ſenſum ipſius propoſitionis peruertunt, nec cum doctrina Authoris cohærent; inſinuant enim obligationem legis diuinæ ad habendos Epiſcopos in Gallia Hiſpania, &c. non tantum oriri ex ordinatione Sacerdotum, ſed etiam ex alijs circumſtantijs; cujus contrarium in hac propoſitione affirmat, cùm dicit legem diuinam non amplius exigere quàm vt ſint tot Epiſcopi, quot ſufficiant ad ordinandos Sacerdotes pro Gallia, Hiſpania, &c. Et in verbis immediatè ſequentibus, explicans à quibus circumſtantijs loci ac temporis abſtrahit, quando legem diuinam indeterminatè conſiderat, illas tantum aſſignat, ratione quarum Gallia v. g. aut Hiſpania non poſſit ſine proprijs Epiſcopis (vt nunc ſunt tempora) ſufficienter idoneis Sacerdotibus inſtrui. Adde quod Superius dixerat *ordinationem Sacerdotum eſſe ſolam rem quæ infert neceſſitatem Epiſcoporum*. Et peruersè ponitur illa particula *exigentibus* tanquam ſi poſſent eſſe vllæ circumſtantiæ, quæ exigant vt Eccleſia aliqua careat Epiſcopo ſeu Epiſcopali Regimine.

*Verſio Pariſienſis pag.* 47.

Lex diuina non plus exigit, quàm vt ſint aliqui Epiſcopi in Eccleſia tot numero ſcilicet, vt periculum non ſit ne totus ordo ſubitò abripiatur ex eorum mortibus: & ſic diſperſi per mun-

dum, vt omnibus Christianis sufficienter prouideatur de doctis & virtuosis Sacerdotibus. Si hoc fiat, legi diuinæ satisfit, licet nulli sint Episcopi in Gallia, Hispania aut Anglia.

*Textus Anglicus pag.* 108.

The diuine law requires no more then that there be some Bishops in the Church, as many in number, as there be no danger, that the whole order be suddainely taken away by their deaths, and so dispersed ouer the world, that all Christians are prouided sufficiently of learned and vertuous Priests. If this be done the diuine law is satisfyed, though there be no Bishops in France, or Spaine, or England.

## *Propositio 5. ejusdem tituli.*

*Versio Coloniensis pag.* 70.

Quamobrem detur mihi Christianorum multitudo vtcunque magna, quæ nullo pacto indiget Episcopo ad consecrandos Sacerdotes, nec Ecclesia ab eo suorum Sacerdotum consecrationem expectet, audaciter affirmabo necessarium non esse, vt illius multitudinis Rector Episcopus sit.

Hic addita sunt illa verba, *nec Ecclesia ab eo suorum Sacerdotum consecrationem expectet*, quæ non extant in textu Anglico. Sed quòd hanc propositionem annotauerim, effecit Author

Spongiæ, vt nimirum ex hac Coloniensi Iesuitarum translatione, non tantum calumniam, qua Parisiensem versionem aspergit, liquidò diluerem, verùm etiam vt eam in Authorem suum retorquerem. Sic enim scribit Spongiæ Author pag. 70. *Pergit Collector calumniator esse, & sententiam Authoris diminutè malignè & contra ipsius sententiam proferre, integra eius assertio hac est. Da mihi multitudinem Christianorum quantumcunque magnam, quæ non indiget Episcopo ad ordinandos Sacerdotes, indigebit illa quidem gubernatore, qui sceptrum regiminis teneat: & audacter dicam non egebit Episcopo, qui sit Superior Sacerdote, scilicet ordine; nam sceptro iam dixerat requiri superiorem. Quanta maleuolentia & impudentia omisisse particulam illam, indigebit gubernatore qui sceptrum regiminis teneat?* Hucusque Author Spongiæ. At verò cum hæc propositio vel ipsis Iesuitis arbitris in sua Coloniensi versione illa verba non habeat, judicet Lector quàm justè ista impudentiæ nota in Authorem Spongiæ conjici possit, cùm & textum Anglicum, & ipsosmet etiam Iesuitas hec in parte sibi habeat contrarios. Nec vlla apparet ratio, cur particulam illam, *indigebit quidem gubernatore qui sceptrum regiminis teneat*, huic propositioni insereret, nisi Authoris maleuolētia, qui cum aliam non haberet, hanc calumniandi occasionem sibi finxit: nam licet verba ista omissa essent, nō tamen propterea immutata fuisset Authoris sententia, cùm ex reliquis verbis, eundem, quem supponit, istius propositionis sensum esse perinde constet, ac si particula illa exprimeretur: nec propositio ista ideo notata fuit, quòd in ea negetur ejusmodi multitudinem gubernatore indigere, sed quia negatur opus esse, vt gubernator istiusmodi Ecclesiæ sit Episcopus. Et propterea culpari etiam non poterit Collector, quòd particulam istam, si forte aliquo modo in consequentibus aut antecedentibus expressa fuerit, hîc denuo non repetierit, quia licet ea concedatur, nihil inde juuatur Spongia ad Parisiensem Censuram eluendam.

*Versio Parisiensis pag. 48.*

Da ergo mihi multitudinem Christianorum, quantumcunque magnam, quæ non indiget

diget Episcopo ad ordinandos Sacerdotes, & audacter dicam quòd non sit opus vt gubernator illius Societatis sit Episcopus.

*Textus Anglicus pag. 110.*

Therefore giue mee a multitude of Christians neuer so greate, that hath not neede of a Bishop to ordaine Priests, and I will bouldly say, that there is no neede that the gouernour of that Company be a Bishop.

## *Propositio 7. ejusdem tituli.*

*Versio Coloniensis pag. 71.*

Confirmationis igitur administratio non impedit, quo minus ipsius grex, qui ab illo consecrationem Sacerdotum non expectat, adhuc Episcopo, pedes capiti, dicere possint, quatenus Episcopus non est nobis ad salutem necessarius.

In hac propositione immutatur textus quoad illa verba, *quatenus Episcopus non est nobis ad salutem necessarius*, in Anglico habetur, *non indigemus te, vt es Episcopus*, & hæc propositio propter istam locutionem notata fuit tanquam contumeliosis verbis concepta.

*Versio Parisiensis pag. 49.*

Donatio confirmationis non impedit (si non indigeant eo, *Episcopo*, ad ordinandos Sacerdotes) quin grex ejus dicere ei adhuc possit,

nempe pedes capiti, Non indigemus te, vt es Episcopus.

*Textus Anglicus pag. 112.*

His giuing of Confirmation doth not hinder but his flocke (if they neede him not to ordaine priests) may still say to him, to wit, the feete to their head, wee neede you not, as you are Bishop.

## *Ex titulo 4. de Hierarchia & Regularibus Propositio 6.*

*Versio Coloniensis pag. 92.*

In Ecclesia sub Christo in terris viuente Apostolis proximi erant septuaginta duo discipuli, ita ij qui proprijssimè succedunt his septuaginta duobus, ijsque simillimi sunt, in Ecclesia proximo sunt statu Episcopis, qui Apostolorum loco succedunt. Sunt hi autem Regulares vt probat S. T. &c. *Et paulo post.* Ita Diuus Thomas ostendens quòd Regulares &c. septuaginta duobus discipulis simillimi sint, atque adeo proprijssimè ijs statu succedant, & consequenter ijs præponendi sint, quorum labores & charitatis opera mandato subsunt particularium Episcoporum, quique ex vi Status & vocationis vni exiguę particulæ Ecclesiæ particularis adstringuntur.

In hujus propositionis versione corrumpitur textus Anglicus quoad illa verba *proximo sunt statu Episcopis*, in Anglico habetur, *proximo sunt gradu Episcopis*. Item inferius, *propriissimè in statu succedunt*, Anglicus textus habet, *propriissime succedunt eorum loco.* Et propter hæc duo vocabula ista propositio notata est à Facultate Parisiensi, nam esse proximo gradu in Ecclesiastica Hierarchia post Episcopos est habere summam in Ecclesia authoritatem post illos; & proprijssimè succedere loco septuaginta duorum discipulorum, est succedere ipsis in ministerio Ecclesiastico. At vero Author Spongiæ non diffidit, quin Lectori persuadere possit Facultatem Parisiensem in censura hujus propositionis inuehi tantummodo in erratum præli; quia videlicet aduertit vocabulum illud, *munera*, inter præli errata notatum fuisse, & ejus loco substitutum vocabulum, *charitates*. Quod spectat ad præli erratum, fateor id ita esse, sed quòd Parisiensis Facultas in illud animaduertat, nemo profectò suspicari poterit, qui censuram cum propositione contulerit; quę non ideo notata fuit, quòd in ea dicatur labores & munera Parachorum esse sub jussu particularis Episcopi, sed quia in Ecclesiastica Hierarchia Regulares proximo gradu Episcopis subjungit, & quia asserit eosdem proprijssime succedere loco 72. discipulorum; quæ duo in ista propositione manifestè continentur, quamuis vocabulum illud, *munera*, eo in loco expungatur, ac proinde frustrà ansam arripit Loemelius tam inani captiuncula censuram eludendi. Nec video quid ex mutatione istius vocabuli, causæ suæ lucrifacere possit Daniel à Iesu, nisi forte videri cupiat istjus esse opinionis, quod Curatis (de quibus in eo loco sermo instituitur) animarum cura non ex munere sed ex charitate tantummodo incumbat. Præterquam quòd vocabulum illud, *charities* Anglicè, & *charitates* latine, ex communi vsu significet *eleemosynas*, potius quàm opera charitatis, atque ita non videtur posse in eo loco substitui, quin sensum propositionis absurdum reddat. Prudens itaque Lector suspicari poterat errorem potius contigisse in illa notatione mendarum preli, quàm in ipsa impressione. Vtcumque est, judicet Lector quàm injustè contumelijs oneretur Translator Parisiensis, cum nihil aliud reperiatur in tota versione vtriusque libri, quod reprehendi possit, præter istam inaduertentiam errati prelo commissi; quod tamen contigit esse ejusmodi, vt sensum propositionis non adeo

immutet, quin si corrigatur, futura semper sit eidem censuræ obnoxia.

*Versio Parisiensis, pag. 54.*

In Ecclesia sub Christo viuente in terra 72. Discipuli proximi erant Apostolis, ideoque qui propriè succedunt 72. Discipulis, & illis simillimi sunt, sunt in Ecclesia in proximo gradu ad Episcopos, qui succedunt loco Apostolorum. Hi sunt Regulares, vt S. T. probat, &c. *Et paulo post.* Regulares sunt simillimi 72. Discipulis, ac ita proprijssimè succedunt eorum loco, & consequenter præferendi sunt illis, quorum labores & munera sunt sub iussu particularis Episcopi & ex statu & vocatione assignantur vni paruulæ particulæ particularis Ecclesiæ.

*Textus Anglicus pag. 148.*

In the Church vnder Christ liuing on earth the 72. disciples were next vnto the Apostles, so they that most properly succede the 72. disciples, and be most like to them, are in the Church in the next degree vnto Bishops, that succeed in place of the Apostles. These are Regulars, as S. Thomas proueth, &c. *And a little after.* Regulars, &c. are most like the 72. disciples, and so most properly succeede in their places, and consequently are to be preferred before those, whose labours and * charges are vnder the

**Corrig. charities.*

der the commaund of particular Bishops, and by ſtate and calling are aſſigned to one little particle of a particular Church.

## *Propoſitio 7. eiuſdem tituli.*

*Verſio Colonienſis, pag. 109.*

Is qui ex Epiſcopo Religioſus ſit, dici poſſit euehi ac euolare altius, ac non omni ratione & vndequaque deſcendere.

Quoad iſta verba, *ac non omni ratione & vndequaque deſcendere*, textus Anglicus corrumpitur, in quo habetur, *ac non omnino deſcendere*, Anglicè *altogether*.

*Verſio Pariſienſis, pag. 55.*

Qui ex Epiſcopis fiunt Religioſi, dici poſſunt aliquo modo altiùs volare, & non omnino deſcendere.

*Textus Anglicus, pag. 177.*

He that of Biſhop becomes Religious, may be ſayed in ſome ſort to mount, or flie higher, and not altogether to deſcend.

## *Propoſitio 9. eiuſdem tituli.*

*Verſio Colonienſis, 114.*

Probabile eſt Epiſcopos ex vi ſtatus ſui, & ordinariæ poteſtatis quam à diuina habent in-

ſtitutione, non eſſe Perfectores & Magiſtros, ſeu ordinarios ſuperiores Religioſorum quoad uota, & perfectionem voto promiſſam, etiam ſepoſito priuilegio Religioſorum, quo gaudent exemptionis ab Epiſcopis.

In hac propoſitione adduntur iſta verba, *ſeu ordinarios ſuperiores* quæ non extant in textu Anglico.

*Verſio Pariſienſis, pag. 56.*

Probabile eſt Epiſcopos ex ſuo ſtatu, & ex ordinaria poteſtate, quam habent ex diuina inſtitutione, non eſſe Perfectores & Magiſtros Religioſorum, quantum ad votum, & voti perfectioné, etiam ſepoſitis priuilegijs exemptionis ab Epiſcopis, quam habent Religioſi.

*Textus Anglicus, pag. 184.*

It is probable, that Bishops are not by their ſtate, and by the ordinarie power they haue of deuine inſtitution, the Perfectors and mayſters of Religious men, in regard of their yowed perfection, euen ſettinge the Priuiledge the Religious haue, of exemption from Bishops aſide.

## *Propoſitio 10. eiuſdem tituli.*

*Verſio Colonienſis, pag. 114.*

Nec (vti mihi perſuadeo) diſplicebit hæc do-

ctrina sanctis Episcopis quibus grauis adeo Episcopi obligatio videtur, vt ferant sanè haud grauatè probabilibus argumentis, eâ se obligatione liberari, cuius vi teneantur, vt sint omnium virtutum numeris, ita vndequaque absoluti, vt viam perfectionis Religiosos præire possint.

In ista propositione illa verba, *eâ se obligatione liberari, cuius vi teneantur, vt sint omnium virtutum numeris ita vndequaque absoluti, vt viam perfectionis Religiosos præire possint*, deberent ex Anglico hoc modo verti, *liberari se tam altâ obligatione, ac est teneri ex statu posse docere Religiosos viam perfectionis.*

*Versio Parisiensis, pag. 56.*

Nec, vt mihi persuadeo, hæc doctrina displicebit sanctis Episcopis, quibus Episcopi obligatio videtur tam onerosa, vt lætaturi sint ex bona probabilitate se releuari à tam alta obligatione, qualis est teneri ex statu potentes esse docere Religiosos viam perfectionis.

*Textus Anglicus, pag. 184.*

Nor (as I am persuaded) will this doctrine be displeasinge to holy Bishops vnto whom the obligation of a Bishop seemes so heauie, as they will be glad vpon good probability to be relieued of so high an obligatiõ, as to be bound by state to be able to teach Religious men the way of perfection.

## *Propoſitio 11. Eiuſdem tituli.*

*Verſio Colonienſis, pag.* 117.

Excellentia Status Religioſi, quæ ſtatui deeſt Epiſcoporum, hæc eſt, quòd religio ſtatus ſit perfectionis acquirendæ, cùm ſtatus contrà Epiſcoporũ, ſtatus ſit perfectionis iam acquiſitæ: Eſſe porro in ſtatu perfectionis iam acquiſitæ, non importat eſſe in ſtatu per cuius profeſſionem perfectio velut ex opere operato acquiratur, ſed in eiuſmodi, qui hominem iam ſupponit perfectum, nec vlla media quæ ſunt propria, habet per quæ perfectio efficiatur, ſi fortè de imperfecto ad Epiſcopi dignitatem euehitur. Nam ſi poſtmodum perfectus euadit, hoc fit ope & adminiculo illarum actionum ad quas ex vi ſtatus Epiſcopalis propriè non ordinatur.

Primùm vbi dicit, *per cuius profeßionem perfectio velut ex opere operato acquiratur*, additur illa particula, *velut ex opere operato*, quæ non extat in textu Anglico. Item quod pòſt tranſtulit, *per quæ perfectio efficiatur*, Secundùm Anglicum verti debet, *per quæ fiat perfectus*. Denique poſtrema illa verba, *ad quas propriè non ordinatur ex vi ſtatus Epiſcopalis*, deprauant textum Anglicum, in quo dicitur, *ad quas non obligatur ex ſtatu Epiſcopali*.

*Verſio Pariſienſis, pag.* 57.

Excellentia Religioſi ſtatus, qua caret Epiſcopalis

copalis ſtatus, hæc eſt, quòd Religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, cùm ſtatus Epiſcopi ſit ſtatus perfectionis acquiſitæ: eſſe in ſtatu perfectionis acquiſitæ non importat eſſe in ſtatu, ex cuius profeſſione perfectio actu acquiritur, ſed qui ſupponit aliquem eſſe anteà perfectum, dando illi nulla media propria ſtatui, quibus perficiatur, ſi fortè non ſit perfectus cùm aſſumit illum ſtatum, ita vt homo imperfectus factus Epiſcopus, ſi alias fortè euadit perfectus, hoc fit exercitio actionum, quibus non tenetur ex ſtatu.

*Textus Anglicus, pag. 188.*

The excellency of a Religious ſtate, which is wanting in the ſtate of Biſhops, is this, that Religion is a ſtate of perfection to be gotten, wheras the ſtate of Biſhops is a ſtate of perfection allready gotten. To bee in the ſtate of perfection allreadye gotten, doth not import to bee in a ſtate by profeſſion wherof perfection is actually gotten, but to bee in a ſtate which ſuppoſeth a man to be afore-hand perfect, giuing him no meanes proper to his ſtate to be made perfect, if perhaps he be not ſo when he vndertakes the ſtate, ſo that a man imperfect being made Biſhop, if afterwardes happely he come to be perfect, this is done by the

exercise of actions vnto which he is not bound by his state.

## *Propositio 12. eiusdem tituli.*

*Versio Coloniensis, pag.* 119.

Quamuis speculatiuè perfectior sit Episcopi status secundùm naturam suam purè consideratus; quia tamen practicè circumstantijs periculorum & impedimentis perfectionis vndique ambitur, nec sine ijs reipsa haberi potest, ideo absolutè status Religionis pluris fieri, fælicior & perfectior censeri debet, quod spectat ad propriam cuiusque perfectionem. Vt enim status alicuius excellentia intelligatur, considerare oportet non modo actionum ad quas obligat, sublimitatem, strictamque obligationem, quam suis Professoribus imponit, sed etiam quæ suppetat facultas, quæ spes sese à tantis obligationibus fæliciter expediendi; obligari enim sub pœna peccati & damnationis ad ea perficienda quæ moraliter impossibilia sunt, hoc est sine summa difficultate & labore ægrè tandem perfici possunt, statum constituunt non tam perfectum quàm periculosum, non magis desiderandum quàm deplorandum.

In hac propositione primò quoad illa verba, *quia tamen*

*practicè circumstantiis periculorum, & impedimentis perfectionis vndique ambitur nec sine iis haberi potest*, corrumpitur textus Anglicus, in quo verba ista non reperiuntur, sed alia quæ transferri debent in hunc modum, *quia tamen practicè res sumenda est secundum omnes suas circumstantias, & prout moraliter haberi potest.* 2. Quoad illam particulam, *sed etiam quæ suppetat facultas, quæ spes sese à tantis obligationibus fœliciter expediendi*, immutatur textus Anglicus, qui in hunc modum verti deberet: *sed etiam possibilitatem, vel probabilitatem sese à tantis obligationibus expediendi.* 3. Ista verba, *hoc est sine summa difficultate & labore ægrè tandem perfici possunt*, omnia adduntur à Translatore, nec vllo modo extant in Anglico, vbi nudè dicitur tantùm, *quæ moraliter loquendo impossibilia sunt.* 4. In fine vbi dicit, *statum constituunt non tam perfectum quàm periculosum*; textus Anglicus habet, *non tam perfectum quàm miserabilem*. Denique vltima verba, *non magis desiderandum quàm deplorandum* non extant omnino in textu Anglico.

*Versio Parisiensis, pag.* 58.

Licet speculatiuè status Episcopalis sit perfectior, vt consideratur secundùm nudam suam naturam; tamen, quia practicè res sumenda est secundùm omnes suas circumstantias, & prout moraliter haberi potest; ideo absolutè status Religiosus pluris æstimandus est, & fœlicior putandus, & pro quolibet in particulari perfectior. Nam ad considerandum excellentiã status, non tantùm considerare debemus perfectionem actionum, ad quas obligat, & strictam obligationem, quam infert possessoribus, sed etiam possibilitatem, vel probabilitatem perficiendi tam altas obligationes. Nam obligari sub pœna peccati & damnationis ad perfi-

ciendas actiones, quæ moraliter loquendo non ſunt poſſibiles, non tam eſt perfectus, quàm miſerabilis ſtatus.

*Textus Anglicus, pag. 192.*

Though ſpeculatiuely the ſtate of a Bishop be more perfect as conſidered according to the meere nature thereof: yet becauſe in practiſe a thing is to be taken according to all the circumſtances that waite vpon it, and according as morally the ſame may be had, therefore abſolutely the ſtate of Religion is to be more eſteemed, and accompted the happier, and for euery one in particular the more perfect. For in a ſtate to know the excellencye thereof, we muſt conſider not only the perfection of the actions vnto which it bindeth, and the strict obligation it layeth vpon the profeſſours, but alſo the poſſibility or probability to performe ſuch high obligations; for to be bound vnder payne of ſinne and damnation to performe actions, that morally ſpeaking are not performable, is not ſo much a perfect as pittifull ſtate.

*Propoſitio*

# *Propositio 13. ejusdem tituli.*

*Versio Coloniensis pag.* 138.

Hoc quidem nomine Religiosæ Sanctitatis status non parum supra statum eminet sæcularium Sacerdotum, qui neque ex sua essentia, neque ex diuina positiua lege specialem supra vulgus Christianorum castitatem requirit. Religiosorum verò professio non solum diuinâ positiuâ lege, verum etiam ex sua essentiali ratione professionem Angelicę puritatis seu castitatis supra cæteros exposcit.

In hac propositione omittitur vocabulum, *Episcoporum*, nam textus Anglicus habet, *non parum supra statum eminet Episcoporum & Sacerdotum*. Item vbi in fine dicit, *supra cæteros exposcit*, textus Anglicus non habet illam particulam, *supra cæteros*, sed dicit absolutè, *exposcit*.

*Versio Parisiensis pag.* 59.

In hoc status Religiosorum potest videri multùm honoris habere præ statu Episcoporum & Sacerdotum, quia horum status nec essentialiter, nec diuinâ positiuâ lege requirit specialem castitatem præter illam vulgarium Christianorum, vbi status Religiosorum non solum diuinâ positiuâ lege, sed etiam essentialiter includit professionem Angelicæ puritatis.

*Textus Anglicus pag.* 224.

In this the state of Religious may seem to

haue much honour aboue the ſtate of Bishops and Prieſts, becauſe their ſtate neither eſſentially, nor by the deuine poſitiue law requiers ſpeciall chaſtity aboue that of vulgar Chriſtians, whereas the ſtate of Religious not only by deuine poſitiue law , but euen eſſentially includs the profeſſion of Angelicall purity.

*VT lector intelligat Translatorem illum libri Danielis à Iesu, cujus Versio Coloniæ impressa est, non fuisse sincerum & fidelem in reliquo contextu transferendo, sed plurima per totum librum æque ac ipsas propositiones corrupisse, visum est ex innumeris. quas notaui, Anglici textus deprauationibus, paucas hic adjicere, & specimen aliquod præbere, ex quo facillimè poterit quilibet judicare, quid de tota libri versione sentiendum sit.*

## *Propositio prima.*

*Versio Coloniensis pag. 97.*

Doctor celsitudinem Episcopalem velut amabilem optabilemque præ cæteris vitæ Christianæ Statibus prædicat, & tamen suum inter illius candidatos, ad illamque aspirantes profiteri nomen non audebit. Hujus enim cupiditate, si se inflammari diceret, è vestigio illud Chrysostomi occurreret.

In hac propositione omittuntur ista verba, *quomodo alios inducet, vt cogitent ipsum tam altè sentire de bonitate, pulchritudine, & excellentia Status illius in quo non optabit seipsum collocari?* Hoc scurrile dictum, quo Episcopalis status perfectionem deridet, habetur in textu Anglicano.

*Versio vera & integra.*

Doctor describit Episcopalem dignitatem tanquam rem præstantissimam, & maximè desiderandam, non tamen audet nomen suum collocare inter illos, qui eam desiderant, quomodo alios inducet, vt cogitent ipsum tam altè

ſentire de bonitate, pulchritudine & excellentia ſtatus illius, in quo non optabit ſeipſum collocari? Imo ſi quis dixerit amorem Epiſcopatus ardere in corde ipſius, exiſtimaret ſibi multum derogari. Confeſtim enim dictum S. Chryſoſtomi in ipſum proferetur.

*Textus Anglicus pag. 157.*

M. Doctour takes a contrary courſe, ſetting forth Epiſcopal dignitie as a moſt excellent and deſidereable thing, yet dareth he not put his name amongſt the deſirers thereof, how will he induce others to think, he is highly perſwaded of the goodneſſe, beautie, and excellencie of that ſtate, wherein he will not wish himſelſe placed? yea, if one should ſay, the loue of a Bishoprick burnes in his hart, he would think himſelf much diſgraced. For preſently S. Chryſoſtoms ſaying will be brought vpon him.

## *Propoſitio ſecunda.*

*Verſio Coloniensis pag. 98.*

Quod omnes quotquot extitêre Sanctimoniâ inſignes Epiſcopi, ipſiſmet Regularibus faueant, ſtatumque Religioſum vt longè ſecuriorem, à periculis perditionis remotiorem, & hoc nomine fœliciorem commendent.

In

In hac propositione addidit Translator ista verba, *vt longè securiorem, à periculis perditionis remotiorem, & hoc nomine fœliciorem,* textus Anglicus absolutè dicit *fœliciorem* sine alio additamento.

*Versio vera & integra.*

Quòd omnes Sancti Episcopi, qui vnquam fuerunt pro nobis stant, extollentes fœlicitatem Status Religiosi, longè vltra Statum Episcoporum.

*Textus Anglicus pag. 158.*

That all holie Bishops that euer were, stand on our side, commending the happinesse of a Religious State, farr beyond the State of Bishops.

## *Propositio tertia.*

*Versio Coloniensis pag. 98.*

Quàm formidabile igitur sit inter eos numerari, quorum pars (teste Chrysostomo) longè maxima perit, idq; sæpenumero non tam quòd vitam ipsi flagitiosam duxerint, sed sceleribus damnati alienis, quæ impedire debuissent?

Textus Anglicus non habet ista verba (*teste Chrysostomo*) sed quod S. Chrysostomus in prauos hominum mores refert, hoc Author iste in ipsum Statum Episcopalem refundit, & quod ille locutus est tantùm opinatiuè de Episcopis sui temporis, hoc iste assertiuè affirmat tanquam certissimum omni tempore ratione ipsius Status, in cujus contemptum affert illud Chrysostomi; licet S. Chrysost. eo in loco inuehatur tantùm in homines sui temporis, qui per ambitionem ad tantam dignitatem euecti, suum postea officium negligenter exequebantur.

Quàm formidabilis ergo res est inter illos collocari, ex quorum numero longè major pars minimè saluatur, frequenter non propter suam propriam dissolutam vitam, sed tantùm propter damnationem aliorum, quam tenebantur impedire?

*Textus Anglicus pag. 159.*

What a dreadfull thing then is it, to be ranked amongst them, in which number the farr greater parte is not saued, manie times not for their owne dissolute liues, but only for the damnation of others, which they were bound to hinder.

## *Propositio quarta.*

*Versio Coloniensis pag. 117.*

Illustrari res ista potest exemplo Mercatoris & Nobilis. Vtrique status opulentiæ competit, sed vario schemate. Nobilis in statu est opulentiæ jam acquisitæ, quia vi status, si honori suo consultum velit, actiones exercere debet quibus opes consumantur, nec media habet quà Nobilis, quibus rem augeat, nam quàuis ipsum, dum suo Regi militiâ consilioque adest, contingat ditescere, hoc tamen opulentiæ incrementum status nobilitatis non spectat. Vnde si reip-

ſa minimè opulentus ſit, malo eſt ſtatu, vel omittenda ea ad quæ eum ſua dignitas obligat, vel æs alienum contrahendum, vel ad opes nitendum artibus ſuo ſtatu inferioribus, quæ dignitatem ipſius dedeceant. Mercator autem in ſtatu eſt opulentiæ acquirendæ, quippe ſtatu ipſo ad actiones deſtinatus, quibus certò opes comparantur, non ad eas quibus facultates abſumat, ſtatuſque ipſe, quicquid Mercator ipſe ſibi propoſitum habeat, opum incrementa intuetur. Epiſcopus ſimilis videtur Nobili, Religioſus Mercatori.

In hac propoſitione inprimis addita ſunt à Tranſlatore iſta verba, *nam quamuis ipſum, dum ſuo Regi militiâ conſilioque adeſt, contingat diteſcere, hoc tamen opulentiæ incrementum ſtatus nobilitatis non ſpectat*, quæ nullo modo extant in textu Anglico 2. quod Trãſlator iſte vertit, *malo eſt ſtatu*, verti deberet, *pauperi eſt in ſtatu*, quod vocabulum paupertatis, ſpectatâ comparationis vi, ſenſum facit perinde, ac ſi diceret, eſt in imperfecto ſtatu, nam perfectionem opulentiæ comparat. 3. vbi Trãnſlator vertit, *ſtatu ipſo ad actiones deſtinatus quibus opes certò comparantur*, textus Anglicus habet, *ſtatu ipſo ad actiones obligatus quibus &c.* 4. In iſta ſententia vertenda, *non ad eas, quibus facultates abſumat*, omiſit hæc verba, *ad quas Nobilis tenetur*, quæ extant in textu Anglico, in quo ſic habetur, *non obligatur ad eas actiones ad quas Nobilis tenetur, quibus diuitiæ conſumantur*, quibus verbis ſignificatur Epiſcopum obligari ad actiones quibus perfectionem conſumat & perdat. Denique iſtam integram ſententiam de ſuo addidit, *Statuſque ipſe, quicquid Mercator ipſe ſibi propoſitum habeat, opum incrementa intuetur.*

*Verſio vera & integra.*

Comparatio inter Religioſum & Epiſco-

pum respectu perfectionis, videtur mihi non dissimilis comparationi inter statum Nobilis & Mercatoris respectu opulentiæ. Nobilis est in statu opulentiæ jam acquisitæ, quia status ejus ipsum obligat ex honore ad actiones, in quibus diuitiæ consumuntur & dissipantur, sed non gaudet medijs vt Nobilis, ad acquirendam, aut augendam sufficientiam rei suę temporalis, vnde si forte non sit realiter opulentus, est in paupere statu, quia vel debet omittere actiones ad quas ex honore obligatur, vel æs alienum contrahere, vel denique vti medio aliquo diuitias acquirendi, quod sit inferius vocatione sua. Sed Mercator est in statu diuitias acquirendi, seu diuitiarum acquirendarum, quia ex statu obligatur ad actiones, quibus opes certò acquirantur, & non obligatur ad eas actiones ad quas Nobilis tenetur, quibus diuitiæ absumantur. Episcopus videtur similis Nobili, & Religiosus Mercatori.

*Textus Anglicus pag. 189.*

The comparison between a Religious man and a Bishop in respect of perfection, seemeth to me not vnlike to the comparison betwixt the state of a Gentleman and of a Marchant, in regard of wealthinesse. The Gentleman is in the state of wealthinesse alreadie gotten, because his

state

ſtate bindeth him in honour to actions wherin riches are conſumed and waſted, but hath no meanes as Gentleman, to get or encreaſe the ſufficiency of his temporall ſubſtance, whence if happely he be not really wealthie, he is in a pore ſtate, because ether he muſt omit actions vnto which he is bound in honour, or elſe runne into debt, or finally vſe ſome waye of getting riches inferiour to his calling. But the marchant is in the ſtate to get riches, or of riches to be gotten, becauſe by ſtate he is bound to actiōs wherby wealth is aſſuredly gotten, and is not bound to thoſe actions the Gentleman is, by which riches are conſumed. The Bishop ſeemes like to the Gentleman, and Religious vnto the Marchant.

# EPILOGVS.

EX prædictis videre est Iesuitas istorum librorum Translatores, cùm censuræ notas propositionibus affixas eluere non possent, nisi propositiones notatas in aliquem sensum à textu Anglico alienum detorquerent, coactos fuisse in iis vertendis multa verba addere, nonnulla auferre, plurima verò immutare, & ea maximè, in quæ Parisiensis Censura specialiter intendere videbatur. Et hæc fortaßis causa fuit, cur in translatione ista secundi libri frequentiores occurrant corruptiones, quàm primi; nam primus liber, priusquam Censura Parisiensis in lucem ederetur, latinitati ab ipsis redditus erat, & propterea quid in eo ad Censuram eludendam immutandum, quidvé mutilandum esset non poterant tam certâ assequi coniecturâ. Porro nos nostro hoc in scripto, in quo corruptiones sigillatim annotamus, & ipsamet particularia citantes verba quasi digito monstramus, aliam longè rationem secuti sumus, quàm aduersarij; qui generalibus tantummodo verbis in corruptam Parisiensis Translatoris fidem exclamant, non tamen interea dignantur vllam particularem propositionem in medium afferre, de cuius corrupta versione Translatorem arguant. Quod profectò conuincit ipsos contumeliis non veritate causam suam defendere; proindeque satiùs sibi & honori suo consulerent, si veritati fidem astruentes, id faterentur palàm, quod Iesuita Anglus qui Parisiis ipsorum negotia procurat, iampridem fassus est: Is enim tunc temporis quando maximè opus erat, vt causam suam tueretur, nimirum quando adhuc de censura ferenda agebatur, vocatus ab Illustrißimis ac Reuerendißimis Galliæ Episcopis, & coram ipsis requisitus, si quid haberet contra sinceritatem versionis Parisiis factæ propo-

*sitionum ex libris prædictis excerptarum; ingenuè respondit fateri se translationem veram esse & fidelem, non tamen pari latinitatis elegantia æquasse elegantiam Anglicani textus: quod profectò illi, qui rectè sapiunt, non putant esse vitio vertendum; nam is non nisi importunè latinitatis elegantiæ studeret, qui attendere potius deberet ad verborum Anglicorum proprietatem, & vt verbis latinis genuinum eorum sensum fideliter exprimeret.*

*Quare non est quòd contumeliis illos iniustè impetant, à quibus nihil præter æquum & iustum experti sunt, sed si furere libeat, in seipsos furorem suum conuertere debent, cùm non ignorent sibimet potissimùm & suæ temeritati huius infamis notæ causam imputandam esse; nam ipsimet erant omnium primi, qui, libris istis Anglicis externarum Vniuersitatum approbationem ambientes, eos exteris nationibus obtrusêre. In quem finem prior libellus iam erat latinitate donatus, & secundus etiam, vt quàmprimùm in latinam linguam transferretur, Hybernorum approbantium testimonio iudicatus dignissimus; vterque verò erat à quibusdam Parisiensibus Doctoribus approbatus. Quo factum est vt rumor de iis, & de erroribus, quibus scatebant, apud exteros percrebresceret, iustissimaque daretur occasio, tum Facultatis Parisiensis Doctoribus, vt libros à suis approbatos discuterent, præsertim quia in Anglia omnium ore versabatur, Nicolai Smithei libellum esse à Parisiensi Facultate approbatum, libelli Authoribus id toti Facultati, quod non nisi à paucis, nec sine fraude & dolo (vt postea compertum est) extortum fuit, adscribentibus: tum etiam Illustrissimis ac Reuerendissimis Galliæ Episcopis, vt in eosdem libros diligentiùs inquirerent, vtpote incerto Authore & ficto nomine editos, contra Catholicum Episcopum, & contra doctrinam in Ecclesia receptam compositos, à viris Gallicæ nationis approbatos, & à quibusdam per Galliam*

*clanclulùm disperſos, quos etiam ſuſpicabantur breui, niſi aliquâ ratione clandeſtinos nonnullorum conatus inhiberent, latino idiomate cudendos: tum denique Clero Anglicano vt ab eadem Facultate libri pernicioſi cenſuram efflagitaret, à qua falſiſsimè iactabatur approbationem recepiſſe; cur enim non licitum eſſet Clero Anglicano libros Anglicos externis Vniuerſitatibus, vt diſcuterentur, exhibere, ſi licuit Ieſuitis eoſdem libros eiſdem Vniuerſitatibus, vt approbarentur, offerre? Quare ſi ipſimet Authores libros ſuos eorumque approbationes Anglicanæ tantum nationis limitibus affixiſſent, nec iſta ſua zizania in vicinos Galliæ agros immiſiſſent, nullam fortaſsis modò conquerendi cauſam haberent, libros ſuos Anglicos ab exteris Doctoribus, & à Galliæ Preſulibus, ijs ſtigmatis, quibus errores in ipſis latentes facilè diſcerni poſsint, inuſtos eſſe.*

# FINIS.